ARTS

Digitized by Google

404108

JO. CASP. HAGENBVCHII

Profeſſoris Linguarum, Græcæ & Latinæ,

DE

GRAECIS
THESAVRI NOVI MVRATORIANI
MARMORIBVS

quibusdam metricis

DIATRIBA.

PHILEMON.

Ὅσαι τέχναι γεγόνασι, ταύτας, ὦ Λάχης,
Πάσας ἐδίδασκεν ὁ χρόνος, οὐχ ὁ διδάσκαλος.

BIBLIOTHÈQUE DU PALAIS DES ARTS DE LYON
LEGS G. PRUNELLE 1853

TIGVRI,
SUMTIBUS HEIDEGGERI ET SOC.
MDCCXXXXIIII.

DE
GRAECIS
THESAVRI NOVI MVRATORIANI
MARMORIBVS
quibusdam metricis
DIATRIBA.

INSCRIPTIONVM antiquarum uſum atque præſtantiam ſi quis in doctrinæ hujus elegantisſimæ ſtudiis haud mediocriter verſatus deprædicandam ſibi ſumeret, palmam eas numis antiquis non modo dubiam reddere, ſed prorſus præripere facili opera doceret. At ea adhuc fuit, neſcio quo fato, ſtudii nobilisſimi infelicitas, ut, quum nullum artium ſcientiarumque ceterarum genus inveniatur, quod ſuis præceptis regulisque nondum ſit traditum & adſtrictum, unum hoc, quod antiquitatem omnem præclarisſime complectitur, & quaſi vetuſtatis omnis apex eſt, in ſyſtematis

 formam,

formam, quamvis vel maxime vellet, cogi nondum potuerit. Scilicet non fabro laborem, ſed fabrum labori adhuc defuiſſe. Satis habebant viri magni, & antiquitatis peritiſſimi, ipsos lapides literatos cum orbe erudito communicare. Quo iſti autem modo intelligendi ſint & explicandi, nunc hic, nunc illic, ut occaſio ferebat, tradere commodius ipſis erat, quam filo quodam continuo, quæ ad univerſitatem rei epigraphicæ facerent, certis docere præceptis. Claſſicos ſaxorum antiquorum Collectores novimus hos fuiſſe: GRVTERVM auſpiciis SCALIGERI, REINESIVM, OXONIENSES, SPONIVM, FABRETTVM, GVDIVM, DONIVM, & noviſſime MVRATORIVM. Quorum quique poſteriores ſaxa a prioribus jam edita ne iterum darent, etſi ſedulo caviſſe velint videri, ſæpe tamen *Reineſius* & *Gudius*, ſæpiusque *Sponius*, *Fabrettus*, & *Donius*, inſcii imprudentesque eosdem lapides repetiverunt. quid? quod eundem lapidem in eodem etiam opere iteratum paſſim invenimus. Neque vero ulla eſt Collectio Claſſica, in qua omne genus repetitiones majore copia occurrant, quam in *Muratoriana.* ita enim in ea eſſe erratum non ſexcenties, ſed millies, ipsasque Claſſes ſine neceſſitate a celeberrimo hoc editore multiplicatas magnæ ei fraudi fuiſſe, ſtudiumque eum epigraphicum antea jam ſatis implicatum longe intricatius reddidiſſe, deprehendi. idque ita fore, jam quarto abhinc anno, ſimul ac primum *Theſauri Muratoriani* Tomum Mediolano acceperam, ad amicum ſingularem *Ant. Franc.* GORIVM, publicum Hiſtoriarum Profeſſorem, de priſcis monumentis, judice *Iac. Phil. d'Orville*, æternum promeritum, epiſtola familiari Florentiam perſcripſi. idemque clariſſimo

mo atque doctiſſimo I. I. BREITINGERO, collegii Profeſſorii ſocietate mihi conjunctiſſimo, cum quo jam a condiſcipulatu συμφιλολογεῖν jucundiſſimum mihi ſemper fuit (quemque in vocum Græcarum originibus in Lingua Hebræa, quam publice inſigni cum fructu decem annos in utroque Tigurinorum Collegio docuerat, inveſtigandis mecum, quum Gloſſarium N. T. Græco-Latinum adornaſſem, certatim deſudaſſe gratus agnoſco) in ſermonibus familiaribus aliquoties ſignificavi, pluribusque exemplis confirmavi, ab eodem ad conſcribendam edendamque Diatriben quamdam Epigraphicam numquam non incitatus, tandemque permotus. Neque hanc pulcerrimi operis ſui maculam non vidit ipſe editor præſtantiſſimus MVRATORIVS, quum indices conficeret, Scaligeranis neque numero, neque bonitate pares. *Potiſſimum*, inquit in præfatione Tomi IV. anno i. e. πέρυσι ſcripta, *ab honeſtis Viris ignoſcendum mihi ſpero, quod non paucas Inſcriptiones in hoc Opere dederim repetitas. ---- Indicare autem Lectori, quænam fuerint bis editæ, ſuperfluum duxi. Ex indice Nominum id unusquisque, dum velit, intelliget.* Vtinam indicaſſet. quotusquisque enim eſt, qui de ſingulis marmoribus ad indicem nominum deerrare rationibus ſuis commodum putet? ſique ad eum, quem indicat indicem, deflectamus, quoties nomina vel una literula tantum variant, ſpem noſtram illuſam dolebimus. Quæ liberius ita ſum prolocutus nulla lubidine obtrectandi nominis Muratoriani: quod

Semper honoratum (Muſæ voluiſtis) habebo.

Edendo enim Theſauro ſuo de literis antiquis immortaliter eſt meritus optimus MVRATORIVS.

Verum operi longo fas eſt obrepere ſomnum.
Atque ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo eſt?

Quod ſi, quantam voluntatem adjuvandi ſtudii, quod in monumenta antiquitatis eruditæ in lapidibus ſcripta maximo cum fructu impenderetur, in me ſentio esſe; tantum mihi ſuppeteret otii & facultatis, de conſcribendo Artis Epigraphicæ Syſtemate, nec non de adornanda Bibliotheca Epigraphica commentarer: ſingularum Collectionum Clasſicarum virtutes atque nævos enarrarem: quidquid adhuc prodiit lapidum literatorum, quo modo ad unum Indicum accuratisſimorum, qui vicem commentariorum præſtarent, Corpus posſet reduci, exponerem: quæ in Collectionibus magnis nondum comparuerunt ſaxa, qua ratione novæ collectioni commodisſime adſervari; quo denique pacto ſive jam edita, ſive dehinc edenda, indies magis magisque quirent illuſtrari, panderem. quæ ne ego, qui ſaxum hoc plures jam annos non ſine ſudoribus multis volvo, inani jactatione protulisſe cuiquam exiſtimer, in memoriam velim revocari antiquisſimum verſum vicem proverbii, Gellio teſte, celebratum,

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε.

Dum illa, quæ dixi modo, majoris operæ aliquando perficiantur ab eis, quos cura juvandi ornandique ſtudii lapidarii

– – – – *coquit, & verſat in pectore fixa;*

monebo quid tribus nunc verbis, quod interea temporis ad promovenda rei epigraphicæ commoda, ejusdemque proferenda pomœria egregie facturum esſe videatur. Seculo noſtro Diariorum

riorum literariorum feraciſſimo in edendo Diario Epigraphico, a quo alia omnia arcerentur, & procul abeſſe juberentur, regionum diverſarum viri aliquot, apud quos, ut apud illuſtrem Senatus Divionenſis Præſidem, literarum noſtrarum decus eximium, *Ioannem* BOVHIERIVM, curam illuſtrandæ antiquitatis epigraphicæ tantopere excubare vehementer lætamur, mutuas ſe operas daturos eſſe, communi conſilio ſi ſtatuerent, tam mihi videor videre, quam quæ oculis cernuntur, fore, ut utiliſſima hæc antiquitatis eruditæ pars longe certius conſtantiusque ſeſe habere incipiat.

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Quare ab his, quæ hactenus ſcripſi, abiens ad ea pergo, quæ paginis hiſce agere conſtitui.

Vbi primum de Proſodia Græca τοῦ πάνυ SVICERI in uſum pubis ſtudioſæ poſt noſtrum N. T. Gloſſarium Gr. Lat. recudenda cogitavi, ſtatim ſubiit animum, quod in ea exempla Carminum Græcorum prorſus nulla dentur, Inſcriptiones quasdam metricas haud invenuſte poſſe ſubnecti. Hac mente diebus ſuperioribus ex celeberrimi *Lud. Ant.* MVRATORII, in interpretandis potiſſimum græcis epigrammatis raro Apolline dextro uſi, *novo veterum Inſcriptionum Theſauro* quasdam jam ſelegeram, quum cœpi lectitare *Miſcellanea Lipſienſia nova*, in quorum Voluminis I. Parte III. anno MDCCXLII. foras data p. 450 — 509. habetur *Io. Henrici* LEICHII *Lipſienſis Specimen notarum & emendationum ad Græcas Inſcriptiones, a cel. MVRATORIO editas.* quo doctiſſimi viri ſpecimine non ſine fructu & magna cum voluptate lecto tantum abeſt, ut meum mihi conſilium aut diſplicuerit, aut ex-

cuſſum ſit: potius ad id maturandum & exequendum magis ſum incitatus. ita tamen, ut mutata nonnihil ejus ratione non Muratoriana tantum, ſed & Leichiana quædam ad examen vocari debere ſtatuerem. Omiſſis itaque titulis aliis, de quibus agere pararam, ad quos vero LEICHIVS non eſt commentatus, dicam inpræſentiarum de nonnullis, ad quos MVRATORIVS adhæreſcit, & quibus lucem adferre alter ſtudet, mihi quoque ante lectam diſſertationem Leichianam jam ſelectis. Si aptius quid dixero, gratiam me aliquam ab doctiſſimis Duoviris initurum confido: ſi quæ conjecero, illis minus probabuntur, ab iisdem meliora & certiora edoceri magni beneficii loco habebo. Etſi præterea, ſpatiis nimis iniquis incluſus, lubentiſſime nonniſi ad Editorum magnorum typos provocarem, quo amplior deque pluribus ſaxis diſſerendi campus mihi fieret: lectorum tamen rationibus melius conſulendum ratus neceſſitatem mihi video impoſitam, ejusdem ſæpe marmoris typos diverſos adducendi, ut legi & intelligi etiam ab iis poſſim, quibus magnas & ſumtuoſas admodum Inſcriptionum Collectiones, quæ noſtris quidem certe in oris ſunt rariſſimæ, evolvere non licet. In iis vero, quæ de aliis ſaxis dicenda inter malleum, quod ajunt, & incudem ſe dabunt, citare ſaxa, non producere, interdum ſatis mihi erit. neque dubito, fore, qui nonnulla a me adducenda levia nimis eſſe judicent: ſed hos velim perpendere, non eadem omnibus levia aut gravia videri: in primis autem, quæ exilibus exemplis tradendi occaſio ſubnata eſt, aut arrepta, eadem me, ſi locus exſpatiandi datus fuiſſet, exemplis illuſtribus, & quæ magni eſſe momenti ipſi concederent,

firmata produċturum fuiſſe. Res itaque, ipſas ponderent, quamvis levioribus exemplis præceptas aut provocatas.

INSCR. I. MVRAT. *pag.* 1704. *num.* 7.

Romæ, in domo Puritæ. Ex Ligorio.

ΘΕΟΙϹ ΚΘΩΝΙΟΙϹ
ΝΥΝ ΒΑϹΙΛΙΟΙϹ
ΕΓΩ ΒΡΕΦΟϹ
ΑΙΛΙΝΟΝ ΩΔΕ
ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ
ΠΑΤΡΟϹ ΜΑ
ΚΡΕΙΝΟΥ
ΓΛΥΚΕΡΑϹ
ΜΗΤΡΟϹ ΜΗΤΕ
ΚΟΥϹΗϹ Φ ΟΚΤΩ
ΕΤΗ ΠΛΗϹΑϹ ΠΡΟϹ ΤΟΥ
ΤΟΙϹ ΜΗΝΑ ΕΒΙΩ. Α.

Vtcumque potui, hæc ita verti: vitiata quippe ſunt Græca:

Diis Manibus,
Nunc Regibus (meis).
Ego Puer
Luċtuoſus Heic
(jaceo) *Macrinus.*
(una cum) *Patre Ma-*
crino,
(et) *Glyceria*
Matre . . . . . .
. . . . . *Oċto*
Quum Impleſſem Annos Iuxta Ip-
ſos, Menſem Vnum (ipſis) *Supervixi.*

Hæc, nihilque præterea, MVRATORIVS: cujus miſſis omiſſis commiſſa vide. ΒΑϹΙΛΙΟϹ, vel Βασίλειος, (Ι ſæpe pro ΕΙ in græcis ſaxis, & viciſſim ΕΙ pro Ι) proprium pueri nomen, quia in terminatione habet tertium Ι oſcitanter intru-

 ſum,

ſum, perinde accepit, ac ſi βασιλεῦσι, *regibus*, legeretur, novumque credidit Deorum Manium epitheton. Pueri parentes una cum filio ſepultos finxit, quum μετὰ nusquam compareat, deceptus, ut puto, verſus penultimi ultimique verbis πρὸς τέτοις, quæ ad parentes male retulit. De epigrammate hoc LEICHIVS pag. 497. hæc habet: *A* Ligorio *non ſatis accurate deſcriptum, quod* pag. 1704. *editur, ſepulcrale monumentum, ita legendum ſupplendumque videtur:*

Θεοῖς καταχθονίοις. Νῦν Βασίλειος
Ἐγὼ βρέφος αἰμνὸν
Ὧθε Μακρεῖνος πατρὸς Μακρείνȣ
Γλυκερᾶς μητράς με τεκȣ́σης
Ὀκτὼ ἔτη πλήσας
Πρὸς τέτοις μῆνα ἐβίων α

Diis manibus. Nunc Baſilius
Ego, puer luctuoſus
Hic Macrinus (jaceo) Patris Macrini,
Glyceræ matris, quæ me peperit.
Octo cum implevisſem annos,
Menſem præterea unum vixi.

LEICHIVM duodecim *Muratorii* lineas in ſex vides contraxisſe, chartæ perituræ parcentem. versu ejus 2. & 3. αἰμνὸν ὦθε vitia operarum ſunt, pro αἰλινὸν ὧδε. Θεοῖς καταχθονίοις emendare ſupervacaneæ curæ eſt. Vt in titulis Latinorum ſepulcralibus formula initialis DIIS MANIBVS, interdum integre exſcripta, longe autem ſæpius initialibus tantum vocum literis D. M. notata, notisſima eſt: ita Græcorum fuisſe formulam Θεοῖς Καταχθονίοις nemo neſcit, eamque nunc extenſe ſcriptam, nunc nonniſi ſiglis Θ. Κ. indicatam. Scaliger indice primo Gruteriano quatuor exempla adduxit, quorum tria plene exſcriptam,

unum

unum ſiglis tantum expreſſam formulam hanc dat. Θεοῖς καταχθονίοις. 98: 6. 326: 1. 680: 2. 946: 3. hæc in Holtheniana horum indicum editione ita occurrunt. Θεοῖς καταχθονίοις. 98: 6. 316: 1. 680: 2. Pro 316: 1. corrigendum eſſe 326: 1. monuit Holthenus in præfatione ſua. At quartum quoque ſaxum a Scaligero adductum, ab Holtheno, quod numeri 946: 3. fallebant, ſubtractum eſſe, in Holtheni editione indicio nullo liquet. quo exemplo, cujus ſimilia ſunt, quoties in pluribus Scaligeri ſaxis eadem voce adlatis, veri & falſi numeri una occurrunt, cognoſcas, quo loco habenda ſint hæc ejusdem præfationis Holthenianæ verba. *Quoties offendi, quæ nulla mea arte emendare valui, ſpatium reliqui, implendum tibi, cum in ea incideris, quæ me fugerunt.* Pro vitioſis Scaligeri numeris 946: 3. demto centenario numero 846: 3. reſtitui oportere mihi jam pridem notatum, quum Scaligeri indices utriusque editionis inter ſe contuli. Etſi autem maxime ſolita ſit formula Θεοῖς καταχθονίοις, eam tamen pro Θεοῖς χθονίοις in ſaxo noſtro reponi minime eſt opus. Θεοὶ enim χθόνιοι iidem, qui καταχθόνιοι. Ex probatisſimis auctoribus græcis magno id adparatu jam adſtruxit H. Stephanus in Theſ. Ling. Græcæ T. IV. p. 520. C. D. E. qui quum hoc nobis otium, fecerit, græca marmora ad eandem rem advocabimus.

χθόνιον βασιλῆα, vel βασιλέα, nominat marmor Herodis Attici a Caſaubono prius, qui Herodem inde *regem* Muſis invitis procudit, poſtea a Salmaſio, qui *inferum regem* Plutonem intelligendum optime docuit, eruditisſimis libellis illuſtratum, datum quoque ex αὐτοψίᾳ a Spon. Miſc. p. 322. χθονίων Θεῶν mentio etiam in geminis columnis ejusdem Herodis Attici, a Salmaſio

maſio hac quoque de cauſſa memoratis. quarum nos alteram pro ea copia i. e. pro inopia, quæ in typographeis eſt, damus, ut poſſumus, quando, ut volumus, minime licet. damus ſpatium compendifacturi verſibus continuis quinque aut ſex, quæ columnæ dant verſibus brevioribus XXII. aut XXVII. ODENI ΘEMITON METAKINEſAI EK TO TPIOΠIO HO EſTIN EΠI TO TRITO EN TEI HODOI TEI AΠΠIAI EN TOI HERODO AΓROI O ΓAR LOION TOL KINEſANTI MARTVſ DAIMON ENHODIA KAI HOI KIONEſ DEMETROS KAI KOREſ ANAΘEMA KAI ✝ΘONION ΘEON. Hæ columnæ etſi in Grutero exſtent 27: 1. & Scaligero materiam dederint digreſſionis doctiſſimæ, quam Animadverſionibus in Euſebium intexuit, de literarum Ionicarum origine; idem tamen Scaliger χθονίων θεῶν indice Gruteriano primo, ſeu Deorum, ex Grut. 27: 1. non meminit. Quas modo memoravi columnas duas, in iis non χθονίων, ſed καταχθονίων θεῶν legendum eſſe, ecquis eſt, quin exiſtimet, ſi inciderit in MVRATOR. 99: 2. ubi columnarum illarum alteram *E Clariſſ. P. Montfauconio* dans planiſſime exhibet KATAXΘONIΩN ΘEΩN, hancque notam ſubjicit. *Jam pridem hanc ediderat Gruterus pag.* 27. *num.* 1. *Correctiorem poſtea dedit Montfauconius, inſignis Græcæ linguæ, & eruditionis Græcæ magiſter.* Hoc tanto magiſtro num dubitabimus Gruteri textum ſollicitare, eumque contra αὐτόπτην Smetium (pagina operis Smetiani quinta averſa num. 3.) corrigere? Muſæ id omnes prohibeſſint. vetat etiam quam maxime *Montfauconius* ipse, qui in Palæogr. Gr. lib. II. cap. IV. pag. 135. ambas Herodis Attici columnas æri inciſas ſiſtens ✝ΘONION ΘEON omnino dat, quomodo & Gruteri typus Smetianus habet, ad ἀρχίτυπον ipsum deſcriptus.

ſcriptus. Pag. demum 141. *Montfauconius*, quo modo inſcriptio illa, priſcas Ionicas literas referens, columnis inciſa, vulgari conſcribendi genere legi debeat, characteribus græcis minoribus ſic exprimit, Ὀυδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ τοῦ Τριοπίου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῷ τρίτῳ ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, ἐν τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. Ὀυ γὰρ λώϊον τῷ κινήσαντι. Μάρτυς Δαίμων Ἐνοδία, καὶ οἱ κίονες Δήμητρος καὶ Κόρης ἀνάθημα καὶ καταχθονίων Θεῶν. Abeunt in nonnullis lectiones Montfauconii ab lectionibus Scaligeri in Animadv. Euſebianis p. 110. inprimis etiam in voce, qua de agimus: quod enim Scaliger χθονίων, Montfauconius καταχθονίων expresſit, mox hanc facti ſui rationem dans. (O in his columnis ubique ponitur, Ω nunquam: cet.) *Quodque ſingularius eſt κατα compoſitum cruce deſignatur hac ratione* ✠ΘΟΝΙΟΝ *pro* καταχθονίων, *inferorum, vel manium; ubi etiam vides literam* X *omitti.* Quibus ſua hæc probat Montfauconius, ii num magis ægre ſibi patientur perſuaderi, eodem modo in ſaxo Ligoriano, ΚΘΟΝΙΟΙϹ exhibente, κατα præpoſitionem in voce compoſita initiali litera Κ ſola deſignari: ibi etiam nos videre literam X omitti. ita pulcerrime exiret Leichianum καταχθονίοις. Sed extra jocum; nondum adduci poſſum, ut credam, in viæ Appiæ columnis, omnes ad unam voces literis ſuis omnibus plene exſcriptas habentibus, unum ✠ΘΟΝΙΟΝ duplici anomalia deformatum eſſe; tum ſigla alibi nusquam invenienda, ✠ pro ΚΑΤΑ; tum omisſione literæ X, quæ ſine flagitio omitti non poterat. Quum *Montfauconius* ipse cum iis faciat, qui credunt, Herodem Atticum virum doctum, & antiquitatis amantem, qui tempore Trajani & ſubſequentium Auguſtorum diu floruerit (conſulatum etiam Romæ gesſetit anno V. C. 895. poſt

C. N.

C. N. 143.) curaſſe, ut inter alias inſcriptiones, in villa ſua Triopia erectas, hæc etiam, priſcas Ionicas literas referens, columnis inciſa emineret: cur a nobis non impetremus, neque ✠ eſſe compendium Ἰοῦ ΚΑΤΑ, neque Χ eſſe omiſſum, ſed ✠ ſiſtere formam antiquam Ἰοῦ Χ, a quo nonniſi ſitu differat? Ita ✠ΘΟΝΙΟΝ erit legendum χθονίων, quo modo ante Montfauconium agnitum lectumque eſt, non καταχθονίων. ob quem errorem *Montfauconius* pœnas jam dedit ſtrenuisſimo antiquitatis græcæ vindici Edm. Chishullio in Commentario ad Inſcriptionem Sigeam antiquisſimam βυςροφηδὸν exaratam recuſo Tom. IV. Theſ. Mur. p. 2107. §. VI. exeunte. & p. 2111. §. XII. extremo; Χ *certe*, inquit Chishullius, *ab initio quatuor rectis angulis coibat, teſtante id & noſtro* (*Sigeo*, cujus typum elegantisſimum in ære inciſum dederunt quoque in Inſcriptionum Gudianarum Appendice præfationis) *& Herodiano lapide. Sed diu jam exolevit rectangula ejus forma, & in decusſatam mutata abiit.*

De præſtantisſimo hoc Herodis Attici epigrammata literis antiquis inciſo oſcitans hallucinatur MVRATORIVS. Primum, quæ Montfauconius literis parvulis charactere communi dederat explicandi gratia, nonniſi literis majuſculis, quas vulgo VERSALES vocant, excuſa pro ipsa columnarum ſcriptura obtrudit, eaque correctiore, quam quæ esſet in Grutero, ubi e Smetio ad ipsum archetypum deſcripta datur. Deinde ἀβασανίςως Montfauconiana ἐπὶ Ἰῷ Ἰρίτῳ in textu retinet ΕΠΙ ΤΩ ΤΡΙΤΩ, errore Montfauconii non animadverſo. Montfauconius ipse notavit, in hac inſcriptione diphthongum ου numquam occurrere, verum pro ea Ο tantum poni: in eadem dativum caſum ῳ per ΟΙ exarari. quis ergo non

non videat Montfauconii ἀβλεψίαν, quod in columnis eſt ΕΠΙ ΤΟ ΤΡΙΤΟ legentis ἐπὶ τῷ τρίτῳ, quum legendum ſit, ut a Scaligero ad Euſeb. optime lectum eſt, ἐπὶ τȣ̃ τρίτȣ. at, quod mireris, eidem Scaligero, hæc ad unguem docto, idem qui Montfauconio error obrepsit : indice enim 19. (quem, uti ceteros Gruterianæ illius editionis indices, non judicio eruditioneque minori, quam labore esſe confectum, ſummus harum rerum arbiter G. I. *Voſſius* in Ariſtarcho ſuo judicavit : & magnus *Caſaubonus* ad indicem 19. provocans, *Vide*, inquit, *caput XIX. Indicis Theſauro Gruteriano adjecti magno ſane literarum bono: etſi pauci hodie utilitatem ejus Herculei laboris intelligunt.*) hæc dedit Scaliger : Ο ἀντὶ τȣ̃ Ω. ΕΠΙ ΤΟ ΤΡΙΤΟ, ἐπὶ τῷ τρίτῳ. 27: 1. Holthenus nil mutavit : quum illa delere, in exemplisque τȣ̃ Ο ἀντὶ τȣ̃ ΟΥ & hoc intexere debuisſet, Ο ἀντὶ τȣ̃ ΟΥ. ΕΠΙ ΤΟ ΤΡΙΤΟ, ἐπὶ τȣ̃ τρίτȣ. 27: 1. Eundem errorem parum cavit acutisſime cernens Chishullius : etſi enim ad lapidem Sigeum commentans, Tom. IV. Theſ. Mur. p. 2106. §. IV. ineunte, eruditisſime præcipit de illo antiquitatis non ignobili indicio, quo genitivi caſus in ȣ nunc recte terminati, per ο nudum perpetuo efferantur in monumento Sigeo, huicque per omnia ſuppare Herodis Attici, ἀρχαῖα γράμματα curioſe & critice imitati : mox tamen p. 2107. §. V. columnam Farneſianam alteram ſcriptura recentiore exponens & ipse, dat ἐπὶ τῷ τρίτῳ, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, ἐν τῷ Ἡρώδȣ ἀγρῷ. hoc enim modo ſuſpicor legi in editionibus librorum Chishullii in Britannia & Belgio curatis : quarum nullam habeo, ſed tantum Mediolanenſem : in qua hæc paucula ſex mendis fœdata, videlicet circumflexis tribus neglectis, tribusque voculis ſubtra-

ctis,

ctis, hunc in modum excuſa dantur, ἐπὶ τῷ τρί-τῳ, ἐν τῇ Ἀππίᾳ τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. Si Chishullius ipse vere dedit, quod tamen vix puto, ἐπὶ τοῦ τρίτου, tum vero operæ Mediolanenſes gravius omnino peccarunt, flagitio ſuo injuriam ipſi Chishullio facientes. Sed pergendum nobis eſt, dicendumque porro, de Muratoriana ἐκδόσει columnæ Herodis Montfauconianæ. Mediolani ſolœce datum eſt ΕΝ ΤΗ ΗΡΩΔΟΥ ΑΓΡΩ, pro veris Montfauconianis ἐν τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. tum οἱ κίονες Montfauconii corruptum in ΟΥ ΚΙΟΝΕΣ. Poſtremo de inſcriptionis loco, quem ipsa Inſcriptio docet fuisſe ΕΠΙ ΤΟ ΤΡΙΤΟ ΕΝ ΤΕΙ ΗΟΔΟΙ ΤΕΙ ΑΠΠΙΑΙ, ἐπὶ τοῦ τρίτου ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ, *ad tertium* (lapidem) *in via Appia*, inprimis ridiculus eſt MVRATORII error: præfixit enim, *Athenis in columna.* At Gruterus (quem citat *Muratorius*, & ex quo ſapere poterat) optime ex Smetio: *In duabus columnis* via Appia, *apud ſepulchrum Metellæ repertis*, *atque* in hortos Farneſianos *translatis.* Natus hic error *Muratorii*, Athenas pro Roma ponentis, ex eodem capite IV. Montfauconii, in quo cum duæ inſcriptiones Athenienſes Jonico veteri charactere conſcriptæ referantur, bonus MVRATORIVS columnas Farneſianas Athenis extare dormitans ſcripsit. Nos Athenis, quo inviti ſumus devecti, Romam remigramus ad ſaxum Ligorianum.

Scaligerum χθονίων Θεῶν ſupra diximus indice primo nullam habuiſſe rationem: idem vero nobis laudandus eſt, qui non neglexerit eodem indice Deorum dare

Θεοῖς χθονίοις 672: 13.

quem Gruteri locum ſi evolvas, videbis, quod MVRATORIVM & LEICHIVM fugit, Ligorianum

rianum ſaxum a Grutero jam datum. Neque miror, MVRATORIVM id neſciviſſe: indice enim Scaligeri primo id adlatum non cogitarat: & indice græco 23. Scaligeri, ſeu nominum, ex Gruteri 672: 13. ne γρῦ quidem adductum in editione Gruteri priore. qua in edendo Theſauro novo uſum eſſe MVRATORIVM, ne conſulta quidem editione Gruteri poſteriore (cujus in Tomi IV. præfatione demum meminit) pluribus, iisque inſignibus documentis mihi conſtat. Ex altera editione facillime potuiſſet cognoſcere, quod ex Ligorio dederit, ineditum non eſſe. Holthenus enim quo dixi indice 23. hæc de ſuo adjecit:

Βασίλειος. 672: 13. *not.*	Βασίλιος. 672: 13.
Γλύκερα. 673: 13. *not.*	Γλώκερα. 672: 13.
Μακρεῖνος. 672: 13.	

Poſt Γλύκερα (immo penacute Γλυκέρα, quia α hoc fœmininum longum eſt, aut acute Γλυκερὰ, eademque ratio in altera ſcriptura corrupte ω pro υ habente) numeri Holtheniani 673. unitate demta corrigendi ſunt in 672: 13. *not.* Ex his ſupplementis quinque, quæ Holtheni induſtria adpoſuit, duo eſſe Holtheni, addita vox *not.* quam in priore editione nusquam invenias, docet. at reliqua tria Scaligeri an Holtheni ſint, niſi accurate collata editione utraque, nullo indicio cognoſcas. id quod in indicibus Scaligeri ab Holtheno caſtigatis auctisque ſæpiſſime contingit. Pro Βασίλειος & Βασίλιος rectius, meo judicio, Βασίλειος Μακρεῖνος, & Βασίλιος Μακρεῖνος Holthenus dediſſet: puer enim hic *Baſilius*, uſus præterea & patris ſui *Macrini* nomine, ſimul eſt dictus *Baſilius Macrinus.* vel, quia ordinem nominum in ſaxo metrico minus eſſe obſervatum

 exiſti-

exiſtimare posſumus, *Macrinus* cognomento *Baſilius*: quod infra ad Inſc. III. forte tangendi occaſio erit. Nunc operæ eſt, typum Gruteri ex ed. ſec. adferre; tum ut de ſupplementis Holtheni certius conſtet, tum ut cum Muratoriana ἐκδόσει conferatur.

Romæ ad theatrum Marcelli, in pariete domus privatæ, arula marm.

ΘΕΟΙϹ ΧΘΟΝΙΟΙϹ
ΝΥΝ [1]ΒΑϹΙΛΙΟϹ
[2]ΕΓω ΒΡΕΦΟϹ
ΑΙΛΙΝΟΝ [3]ωΔΕ
ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ
ΠΑΤΡΟϹ ΜΑ
ΚΡΕΙΝΟΥ
[4]ΓΛωΚΕΡΑϹ
ΜΗΤΡΟϹ [5]ΜΗΤΕ
ΚΟΥϹΗϹ ΟΚΤω
[6]ΤΗ ΠΛΗϹΑϹ ΠΡΟϹ[7]ΜΗ
ΤΟΙϹ ΝΗΝΑϹ Β. ΜΥ. Α

Vidit Smetius.

1. ΒΑϹΙΛΕΙΟϹ Scal. 2. ΕΓΩ Scal. 3. ΩΔΕ Scal. 4. ΓΛΥΚϹΕΡΑϹ Scal. 5. ΜΕ ΤΕΚΟΥϹΗϹ Scal. 6. ΤΕ Scal. 7. ΤΕϹϹΑΡϹΙΝ ΕΝΙΑΥΤΟΙϹ. ΜΗΝΑϹ. &c. Sic ſupplevit & emendavit Scal. Hæc Grut. 672: 13. Gruteri textus deſumtus ex Smetiano opere p. 130. n. 19. Notulas depromſerunt, qui editionem ſecundam curarunt, ex Gruteri Addendis, quorum auctorem esſe Gruterum ipsum Holthenus pertendit: at Scaligero adſcribit P. Burmannus. quædam in eis Gruteri, alia Scaligeri esſe, ipse obſervavi: de quo agendi locus nunc non eſt. Notulam ſecundam & tertiam omittere potuisſent. De figura enim τȣ̃ ω ſeu Ω nihil traditur ad hoc ſaxum in Grut. Add. Notula quarta

vitio

vitio laborat typographico ΓΑΥΚCΕΡΑC pro ΓΑΥΚΕΡΑC. Ex notula tandem ſexta putes Scaligerum epigramma poſt ΜΗΝΑC non finiiſſe; quo autem modo B. MY. A acceperit, non traditur. In ipſis Gruteri Addendis (quæ quum non digne ſatis ſuis quælibet locis videret data Holthenus, in ed. quoque ſec. integra ut recuderentur, auctor merito typographo fuit) hæc habentur. *Pag.* 672: 13. Νῦν Βασίλειος ἐγὼ βρέφος αἴλινὸν ὧδε Μακρεῖνος Πατρὸς Μακρέινου γλυκέρας μητρός με τεκούσης, Οκτώ τε πλήσας πρὸς ..... ΑΥΤΟΙΣ μῆνας. *ſuppleo*, πρὸς τέσσαρσιν ἐνιαυτοῖς. Auctor obſervationis hujus, ſive Gruterus, ſive Scaliger, totum epigramma tranſſcribens, quomodo judicabat id conſtituendum esſe, neque &c. in fine adjiciens, quod in notula ſexta factum vidimus, ultima textus Gruteriani B. MY. A ut inutilia reſecanda, credo, duxit. Metricis legibus adſtrictum hoc epigramma nemo adhuc obſervavit: non MVRATORIVS, non LEICHIVS: non *Holthenus*, qui indice ſuo XXV. ſeu Carminum, quem indicibus XXIV. Scaligeranis laudando conſilio ſuperaddidit, ſaxum noſtrum non retulit. Num vero poteſt dubitari, in prioribus ſaxi hujus hos duo hexametros legi?

> Νῦν Βασίλιος ἐγὼ βρέφος ἄιλινον ὧδε Μακρεῖνος,
> Πατρὸς Μακρέινου, Γλυκερᾶς μητρός με τεκούσης,
> Ὀκτὼ *cet.*

Quumque in Addendis Gruteri tum vocem Πατρὸς, tum vocem Ὀκτὼ, literis majuſculis (quales in verſuum initiis dari ſolent, unde & VERSALES typographorum παῖδες vocant) ſcribi videam, in cogitationem venio, divinum Scaligerum verſus tres conſtituisſe; Gruterum autem, cui jus a Scaligero datum novimus Sca-

ligeranis ut ſuis utendi, non animadverſa heic metrica ratione, Scaligerana leviter interpolasſe, quum ipſius Scaligeri manus forte dedisſet,

'Οκτὼ πλήσας πρὸς τεσσαρσ' ἐνιαυτοῖς μῆνας.

Ita enim hexameter exit quinto pede Spondæum admittens. Quomodo ſe hæc habeant, de reſtituendo verſu tertio reſtat ut dicamus: quem aliter ſeſe habuisſe in ſaxo typus Ligorianus docet. *Nemo neget, qui Ligorii Opera MSta vidit, quin ille ſatis peritus ac diligens fuerit in exſcribendis Antiquitatibus. Certe Smetio, a quo Gruterus hæc habuit, Ligorius ætate præcesſit; quo tempore characteres lapidis viſibiliores esſe potuerunt.* quæ MVRATORII, æquisſimi de Ligorii laboribus judicis, verba ad aliud monumentum prolata mea heic facere non dubitavi. Priora ſaxi rectius a Smetio exſcripta ſunt, quam ab Ligorio. ΚΘΟΝΙΟΙϹ ſi a lapicida esſet, obſervatione esſet dignum, ut alia ejusdem κόμματος, Κ pro Χ habentia, quorum quædam ab LEICHIO p. 508. ad Καῖρε pro Χαῖρε commentante adlata ſunt. at quum ex Smetio conſtet, quadratarium rite ΧΘΟΝΙΟΙϹ dedisſe, cujus negligentiæ ΚΘΟΝΙΟΙϹ imputabimus? num culpæ proximus Ligorius, ſaxi exſcriptor? num MVRATORIVS Ligorii deſcriptor? qui ſi in Ligorio Κ invenit pro Χ, ſupra Κ τὸ *ſic* adpingere potuisſet. num denique peccarunt typothetæ aut correctores Mediolani? poſtrema data ſunt pesſime a Smetio, bene vero ab Ligorio, neque tamen optime. Ligorii ΜΗΝΑ ΕΒΙΩ. Α. *Leichius* emendat ΜΗΝΑ ΕΒΙΩΝ Α. verisſime quod ad ſenſum. requiritur enim non perſona tertia ἐβίω, ſed utique prima ἐβίων. At lectione LEICHII jugulatur verſus, cui videmur mederi posſe leni medicina, legendo

'Οκτὼ

Ὀκτὼ ἔτη πλήσας, πρὸς τούτοις μῆνα βίωσα,
aut μῆν' ἐβίωσα. Μῆνα ſolum, non adjecto α. i. e. ἕνα, idem eſſe, quod μῆνα α ſeu ἕνα, exemplis pluribus adferendis docerem, ſi neceſſe eſſet. uno ero contentus. NOME VIXIT ANNO ET MENSIBVS VIII DIEBVS XII. quem titulum, in ſuburbio Hiſpalenſi vulgo *el Tablado* A. 1565. repertum, adhuc ineditum dicit LEICHIVS p. 496. Sed fallitur. editus jam pridem legitur in Fabretto Inſc. p. 146. n. 174.

INSCR. II. MVRAT. *pag.* 1450. *n.* 1.

Romæ apud Marcum Mileſium. Ex Donio.

ΤΗΝ ΔΙΟϹ ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ ΜΕ ΧΕΛΕΙΔΟΝΑ ΤΗΝ ΕΠΙ ΒΩΜΟΙϹ
ϹΠΕΝΔΕΙΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΓΡΙΙ ΤΝ ΕΠΙϹΤΑΜΕΝΑΝ
ΕΥΤΕΚΝΟΝ ΑϹΤΟΝΑΧΤΟΝ ΕΧΕΙ ΤΑΦΟϹ ΟΥΤΑΡΑ ΜΑΧΡΟϹ
ΔΗΙΜΟΝΕϹ ΗΜΕΤΕΡΗΝ ΕΒΛΕΠΟΝ ΕΥϹΕΒΙΗΝ

DIS MANIBVS CHELIDONIS SA......
FLORIA CHELIDON
VIXIT ANNIS LXXV
IN. AGR. P. XIV. IN. FR. P. XII
H M H N S

Ex hocce Græco Tetraſticho, deſcriptoris imperitia vitiato, colligere potes, *Chelidonem* hanc ad *Aras Iovis Miniſtram*; ſeu ſacerdotem *libamina* præſtitiſſe, & *prole fœcundam*, ac *ætate plenam* in hoc *profundo tumulo* fuiſſe demum conditam. Hæc MVR. carmen ipſum neque emendare, neque totum interpretari auſus. Auſus utrumque ſed avibus infauſtis LEICHIVS p. 487. cui lin. 2. Σπένδειν ἀθανάτων γῆρυν ἐπιςαμένην, lin. 3. οὐδ' ἄρα μάκρες, pro μάκαρες legendum; totum vero Epigramma ita convertendum;

Iovis miniſtram Chelidonem, quæ in aris
Deorum libare vocem gnara erat,

Felici prole gaudentem, lugentibus omnibus, tumulus tenet. Non igitur beati Dei pietatem noſtram reſpexerunt.

In ſecundo verſu ad χελιδόνος nomen, quod proprie hirundinem ſignificet, alludi: --- Forte etiam ad morem antiquorum, linguas hoſtiarum Diis offerentium, reſpici videtur. Saxum hoc nonniſi *ex Donio* dat MVRATORIVS. Ego vero ad laborioſisſimum Inſcriptionum Donianarum editorem jam anno MDCCXXXX ſcripſi, in MVRATORII opus opus Donianum magnam partem transfundi me non poſſe non indignari, non quidquam cauſſæ videntem, cur Donianos GORII ſudores MVRATORIVS non eodem loco habuerit, quo Gruteri, Reineſii, Sponii, atque Fabretti. Neque comparato MVRATORII Theſauro, cujus Doniana merce farcti pretium eſt adauctum, inſcriptionum antiquarum ſtudioſiores Doniano opere bene carere, luculenter poteſt demonſtrari. cujus documentum dedi triennio abhinc in quadam epiſtola ad clarisſimum Baſilienſium Profesſorem BECKIVM misſa. & vel ſaxum noſtrum idem docebit, ſi Donianum ejus typum videris: cujus in ſyntagmate Doniano inveniendi viam clauſit MVRATORIVS, Gruteri aliorumque negligentiam potius, quam minime obſcuram, ſimul utilisſimam, Reineſii diligentiam in citandis auctorum, unde ſaxa depromta ſunt, locis æmulatus. Multum id negotii ſæpe faceſſere doctis viris, fontes adire, ſuisque magis oculis quam aliorum narrationibus credere ſolitis, quis ambigat? qui ambigit, cognoſcat, quid uſu venerit eruditisſimo Iac. Phil. d'ORVILLIO. *Quomodo*, inquit, (Diatr. in Inſc. quasdam, Tomo III. Miſc. Obſ. crit. nov. in annum 1741. p. 102.)

a Donio

a Donio ſit proditus hic lapis (Sylloges Gudianæ 90: 3.) *quem Muratorius in Theſauri nuper proditi Tomo primo p.* 236. *n.* 3. *ceu ex Donio laudat, dicere non habeo: quum in ſylloge ejus non invenerim, nec alios docti hujus antiquarii libros hac de cauſa pervolutare animus ferat.* Non inventum lapidem in opere Doniano non miror: cujus, æque ac noſtri, in indicibus GORII Donianis nulla facta ſit mentio. Quantillum operæ fuisſet, pag. 236: n. 3. Muratorium dare *Ex Donio p.* 557. *n.* 18. ubi d'Orvillianus lapis ex αὐτοψίᾳ Donii datur: & pag. 1450. n. 1. eumdem ſcribere *Ex Donio p.* 558. *n.* 24. ubi noſter lapis hunc in modum datur.

Apud Martium Mileſium Tabula ornata coronide, & circumquaque myrtea corolla.

ΤΗΝ ΔΙΟΣ ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ ΜΕ ΧΕΛΕΙΔΟΝΑ ΤΗΝ ΕΠΙ ΒΩΜΟΙΣ-
ΣΠΕΝΔΕΙΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΓΡΙΙ ΤΝ ΕΠΙΣΤΑΜΕΝΑΝ
ΕΥΤΕΚΝΟΝ ΑСΤΟΝΑΧΗΤΟΝ ΕΧΕΙ ΤΑΦΟΣ ΟΥΓΑΡΑ ΜΑΤΡΩΣ
ΔΗΙΜΟΝΕΣ ΗΜΕΤΕΡΗΝ ΕΒΛΕΠΟΝ ΕΥΣΕΒΙΗΝ
DIS MANIBVS CHELIDONIS SA-
FLORIA CHELIDON I-
VIXIT ANNIS LXXV
IN. AGR. P. XIV. FR. P. XII
H M H N S

Muratoriano typo Donianus quid intereſt? Præcipua quædam tangimus. ACTONAXHTON *Muratorius* & *Leichius* corrumpunt, dantes ille ACTONAXTON, hic αϛοναχθον. pejus etiam vertunt, alter *ætate plenam*, alter *lugentibus omnibus.* Immo ἀϛονάχητος, ου, ὁ, ἡ, ſignificat *non gemens, non gemebundus*, i. e. cui tranquilla & placata omnia fluunt, minime miſer. idem quod ἀϛένακτος, ut ϛενάζω & ϛοναχέω idem ſignificant. Ignota adhuc fuit Lexicis græcis vox ἀϛονάχητος, qua ex

 carmi-

carmine Doniano poterunt augeri. ΜΑΧΡΟϹ *Muratorium* ipſum dediſſe τὸ ΜΑΥΡΩϹ Donianum non intelligentem, neque tamen quidquam de audacia hac ſua monentem, fidem faciunt ejus verba *in hoc profundo tumulo*, unde eum τάφος μαχρὸς patet ſomniaſſe jungenda, ac ſi μακρὸς eſſet ſcriptum. *Muratorii* ΜΑΧΡΟϹ impoſuit egregie *Leichio*, Μάκρες inde procudenti, pro Μάκαρες. Ex ΓΡΙΙ ΥΝ faciendum γῆρυν, frigidamque ad nomen Chelidonis adluſionem LEICHIO remittimus. Quid lenius, quam Critices heic ope diſtracta & luxata jungere, in locumque reponere? ita ex ΓΡΙΙ ΥΝ faciam ΓΡΗΥΝ, *anum*. mulierem quippe annorum, ut ſaxum docet, LXXV. Totum tandem τετράστιχον ita reſtituo.

Τὴν Διὸς ἀμφίπολόν με Χελειδόνα, τὴν ἐπὶ βωμοῖς
  Σπένδειν ἀθανάτων γρηῦν ἐπισταμένην,
Εὔτεκνον, ἀστονάχητον, ἔχει τάφος. Οὐ γὰρ ἀμαυρῶς
  Δαίμονες ἡμετέρην ἔβλεπον εὐσεβίην.

Quibus quantum Leichiana diſtent, facile ipſe exiſtimabis. Interpretationis loco, quam ex hactenus dictis οὐκ ἀμαυρῶς quivis inſtituat, malo adducere aliud epigramma Callimachi, apprime conveniens cum Doniana Epigraphe.

Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita ſunt diſſimili argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt facta ac ſtylo.

Callim. Epigr. XLII. p. 212. *Edit. Græv.* Εἰς ἱέρειάν τινα Δήμητρος γραῦν αἰσίως τελευτήσασαν, ἐπὶ τετραμέτρῳ ἐνδεκασυλλάβῳ.

Ἱερέη Δήμητρος ἐγώ ποτε, καὶ πάλιν Καβείρων,
  Ὦνερ, καὶ μετέπειτα Δινδυμήνης,
Ἡ γρηῦς γενόμην, ἡ νῦν κόνις ἥγο *****
  Πολλῶν προστασίη νέων γυναικῶν.

Κάι

Κάι μοι τέκν' ἐγένοντο δύ' ἄρσενα, κἠπέμυσ' ἐκείνων
Ἐυγήρως ἐνὶ χερσὶν, ἕρπε χάιρων.

Sacerdos Cereris eram olim, & poſtea Cabirorum,
O viator, & deinde Dindymenes
Anus ego, quæ nunc ſum pulvis; *quin etiam & functa ſum*
Multarum præfectura juniorum mulierum.
Et mihi erant duo liberi ſexus virilis: & oculos clauſi
Felici ſenectute in eorum manibus; abi jam lætus.

Ibi *Bentlejus*, cui hoc epigramma vitam debet, hæc notat: Ἐυγήρως, verbum Ariſtoteli, Plutarcho aliisque uſurpatum: notans & provectam & beatam ſenectutem. Κἠπέμυσ', i. e. καὶ ἀπέμυσα vel καὶ ἐπέμυσα. Illud vero ἡγο...... notat ἡγεμόνα eam fuiſſe ἐν χοροςασίαις καὶ ἱερομηνίαις, i. e. ἀρχηγὸν τῶν γυναικῶν. Plutarch. de Iſide & Oſiride pag. 649. *edit. Steph.* Ἡ σε γινώσκειν, ὦ Κλέα, προσῆκόν ἐςιν, ἀρχικλαμένκσαν ἐν Δελφοῖς τῶν Θυιάδων. lege ἀρχηγὸν μὲν ὖσαν. ut ſupra in κεφαλάιων καταγρ. p. 523. ἡ δὲ τῶν Θυιάδων ἀρχηγὸς &c. Vt Plutarchi locum reſtituit, ita & Callimachi lacunam vellem explesſet manus κριτικωτάτη, non ſenſum tantum aperuisſet. An ἡ χορηγὸς ἤμην explebimus?

Poſtquam de titulo Chelidonis græco commentationem abſolvimus, etſi ſejunctum a re græca propoſita eſt, lubet ſuffigere quædam de titulo ejusdem latino. *Muratorius* ut verſu penultimo alterum IN de ſuo intruſit, ita versus latini ſecundi literam finalem I foras extruſit: verſu quoque latino primo lacunæ ponit indicia poſt SA...... Τὸ SA...... *Muratorio* viſum esſe

initium alterius *Floriæ Chelidonis* cognominis, nonniſi ex ejus indice nominum videas, in quo *Floria Chelidon* 1450: 1. poſuiſſe non contentus, poſuit quoque *Chelidon Sa....* 1450: 1. In hoc vero epigrammate duplex mulieris cognomen invita Delia venamur. Quid, ſi poſt SA ne literula quidem deſit? Si vel maxime C esſet abruptum non SAcrum ſupplendum, quod typus *Muratorii*, indice ejus fruſtra, ut diximus, renitente, unice docet & flagitat; ſed ultima ſaxi SA & I videntur ſenſu jungi debere, & explicari SAcerdotis Iovis, manifeſte præeuntibus græcis verbis, ΤΗΝ ΔΙΟϹ ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ Chelidonem vocantibus. unde alio etiam nomine notandus *Muratorius*, quod ſaxum hoc in Claſſem ſuam XX, Affectus fratrum, cognatorum & amicorum, intulerit, quod Claſſe Tertia in Sacerdotibus feminis dare eum decuisſet. In explicatione nos noſtra cum primi verſus Latini literis duabus ultimis SA. ultimam ſecundi I. junximus. quem marmorariorum morem, quo voces jungendas ſpatiis ita verſuum diſtraxerunt nonnumquam, resque ita interdum admodum dubie implicarunt, ad errata fabrilia referendum ſi pertendas, haud intercedo. id tamen errati fabrilis genus leniore ſenſu erit accipiendum, quam quo Cicero *erratum fabrile* dixit ad Attic. lib. VI. ep. I. Neque hoc errato poſtulandi temere ſunt quadratarii, ſed in exemplis tantum manifeſtis, ubi commoda interpretatio alia locum habet nullum; cujus generis noſtrum nobis videtur.

Eſt apud Grut. 547: 10. lapis e Carnunti ruinis ita expresſus e Lazio, pesſimo lapidum exſcriptore.

C. IV.

C. IVLIVS C. CLA
SECVNDVS SAV
LEG. XV. APO
IVL. CELERINI
VIX. ANN. XXVI
MENSES VII

Neglexerunt in ed. ſec. quidquam adnotare ex Reineſio: qui ad VIII: 8. p. 512. Inſc. de *Colonia Claudia Savaria* commentans hæc notavit, ad lapidis Gruteriani verſus duos priores facientia. „Eum (lapidem) *inquit*, ut recte intelligas, ita „connectenda ſunt vocabula, ut ultimum ſecundi verſus revocetur ad extremum primi, cui „etiam exacte ſubjacet, & a proxime præcedente „per notabile ſpacium ſeparatum eſt (cujus con„ſuetudinis marmorariorum exempla notavi a„lias ----, eaque vel ignorata, vel non ſatis at„tenta immanes errores parit, interdum etiam, „ut nihil extricari poſſit, facit.) fueritque ſic „IVLIVS iſte SECVNDVS ex Colonia CLAudia „SAVaria.„ Nonne verba Reineſii, hominis criticæ lapidariæ regulas apprime docti, easque pleniſſime docentis, at in refingendis ſæpe ſecundum easdem ſaxis audaciſſimi, nimiumque ingenio ſuo indulgentis, ad noſtrum SA. cui I. ita ſubjacet, ut ille tradit, unice quadrant? quadrant, ni omnia me fallunt, longe certius, quam, cujus gratia ea ſcripsit, ad Gruteri ſaxum: cui divini Scaligeri & manus & mens optime ſuccurrit, dantis tum ind. 23. ſeu nominum, *C. Iulius C. F. CLA. Secundus.* 547: 10. tum ind. 12. ſeu tribuum Romanarum, *CLA.* 547: 10. Vt negari nequit, *coloniam Savariam* cognomine *Claudiæ* uſam: ita & hoc negari non poteſt, in pluribus ſaxis Savariæ cives legi

legi CL*Audia* tribu fuiſſe : & optime procedit *C. Iulius Caji Filius CLAudia tribu Secundus.* Tò F. Lazium non obſervaſſe parum nos moratur. Idem initia verſuum tertii & quarti manca quoque dedit. illic enim, ut opinor quidem ego, M. vel MILes, heic 7 ſeu *centuriæ* nota præfigi debet; ut apte cohæreant omnia hunc in modum, *miles Legionis XV. Apollinaris ex centuria Iulii Celerini.*

Idem Reineſius VIII: 44. p. 527. hoc dat ex Capacio Lib. XI. Hiſt. Neapol. c. 24. p. 725. ſaxum Puteolanum.

D. M.
M. VALERIVS. DEXTER. LIB.
NEPTVNIO. MANIPVLARIS
L. CALVISIVS. CEREALIS. IIII.
DACI. COHERES

„Non eſt inſolens iſta ſculptura, qua ultimo „unius lineæ vocabulo id, quod adpertinet, cum„que eo conſtruendum venit, exacte in altera „linea ſuppoſuere marmorarii: a quo propterea „reliqua in ejusdem lineæ initio ſtantia ſeparare „& diviſim legere oportet. Sic in lapide jacue„runt iſta:

„M. VALERIVS. DEXTER. LIBrarius
„ NEPTVNIO. (MANIPVLARIS.

Hæc ibi præter alia Reineſius: quæ ejus verba iterum ad ſaxi Doniani SA. cum I. ſuppoſito conſtruendum quam optime faciunt: minime vero ad ſaxum Capacianum. quod ad militiam navalem (ut alia multa in oris illis ad mare inferum, ubi altera Claſſis Prætoria, Miſenenſis, ſtabat præſidebatque, inuenta) pertinere ſi Reineſius

neſius vidiſſet, tum iſta combinatione extremorum verſuum abſtinuiſſet, tum violenta etiam ultimorum correctione, qua IIII. DACI. COHERES in MILes DACIcæ COhortis, HERES mutare eſt adgreſſus p. 529. ſuperſediſſet. *Muratorius* ad 823: 1. ubi LIBVRNA GRYPI legitur, commentans, priora Reineſii magnifice vereque debellat: LIBVRNA, inquit, *id eſt Navi, cui nomen* Grypi. — *Atque heic animadvertas velim, quam facile vel magni viri labi poſſint, nedum ingenia minorum gentium. Reineſius ex Capacio Puteolanam Inſcriptionem refert Claſſ.* 8. *num.* 44. *ubi legitur M. VALERIVS DEXTER LIB. NEPTVNIO. MANIPVLARIS. Longam diſputationem texit Reineſius, ut oſtendat, occurrere heic* Librarium Manipularem *ex* Neptunio *ſive* Neptunia *oppido Latinorum: quod tamen nemo Latinorum hoc nomine donavit. Mihi certum eſt, hominem illum* Manipularem *fuiſſe in* Liburna, *cui nomen erat* Neptunio, *& Reineſii eruditionem hac vice inutili conatu profuſam fuiſſe.* quæ quum ſcriberet *Muratorius*, aut diſſimulabat, aut ignorabat, jam eſſe depugnatum a Fabretto, qui Inſc. cap. V. p. 366. n. 123. in ſaxo Reineſiano, quamvis invito Reineſio, *Liburnam Neptunium* commemorari docuerat, producto & alio ſaxo Puteolis itidem reperto D. M. G. VALERIO. FINITO. OPTIONI. LIBVRna. NEPTunio. EX. CLASſe. PRætoria. MISENenſi. cet. Poſteriora ſaxi Reineſiani IIII. DACI. Fabrettus, nimis timidus alias, auſus eſt ſollicitare in III. PACE. i. e. *triremi Pace.* Saltem retinuiſſe IIII. i. e. *quadriremi* oportebat. Et ſane doctiſſimus *Gorius* Inſc. Antiq. in urb. Etrur. exſtantium Tomo I. p. 244. 245. rejectis Reineſii Fabrettique correctionibus

IIII. DA-

IIII. DACICO. HERES legendum eſſe pulcerrime adſtruxit ex alio marmore Puteolano, quod a Vignolio vulgatum IIII. DACICO quoque referat. Ipsum illud Vignolii ſaxum *Muratorius* paullo ante p. 822 : 6. retulit, deque *quadriremi*, cui *Dacicæ* nomen , aliud juſſit conferri ſaxum, quod dederat p. 807: 3. in quo MANIPularis IIII. DACIC. legitur. at utrobique altum ſilet de Reineſii παρερμηνείᾳ MIL. DACIcæ COhortis. num minus digna erat , quam confoderet, ac altera illa de LIB. NEPTVNIO MANIPVLARIS ? *Gorio* meo , quo dixi loco , magis placet NEPTVNO , quam NEPTVNIO. ſcilicet triremes , quadriremes , navesque alias haud raro nominibus Deorum dictas eſſe. Iul. Cæſ. Capacii librum non vidi niſi ex editione Batava Theſ. Ital. T. IX. P. III. ubi p. 218. NEPTVNO editum inveni ; item non L. CALVISIVS, ut Rein. Fabrett. & *Gorius* referunt, ſed C. CALBISIVS. quomodo etiam indice Gudiano 23. ſeu nominum, reperio citatum , hunc in modum : *C. Calbiſius Cerealis.* [*Vide M. Valerius Dexter.*] Ad indicis illius literam V. provocatur. in quo tamen indice , quod dolendum , ne litera quidem C. eſt ad finem perducta. Si CALBISIVS ſit in ſaxo , id non acceperim , ac ſi gens *Calbiſia* alia ſit a *Calviſia* : ſexcenties enim V. & B. permutantur. neque mihi placet Fabrettus , qui vitium Reineſii nimia audacia gentilitates admodum incurioſe ſecernentis merito damnans , id effugiturus in contrarium cucurrit , ita ut unica literula ei diſſimilitudinem effecerit , ipso id ita teſtante Inſc. p. 596. ubi Capiti IX. gentilitia nomina , quorum Gruterus non meminerit, complectenti præfatur. Si NEPTVNO , ut de ſaxo Reineſiano abſolvam dicere,

cere, ſit in ſaxo, res omnis eſt in vado, ut poſt *Gorium* diximus. Si NEPTVNIO ſaxum præferat, tum vero eadem nominis liburnæ hujus ratio, quæ in quadriremi DACICO. *Muratorius* ad 807: 3. ubi, ut diximus, MANIPlaris IIII. DACIC. occurrit, hæc paucula notat. *Id eſt* Tetrere *ſive Quadriremi, cui cognomen* Dacica, *ſeu* Dacicus. *Vide infra Inſcriptionem* C. Iulii Diodori (822: 6.) Tomo vero IV. in Addendis & Corrigendis p. 13. hæc habet. *Pag. DCCCVII: 3. In Adnotatione dele* ſeu Dacicus. Vidit vir doctiſſimus, maſculino genere *Dacicus* tueri ſe non posſe. Mallem vero *Tò Dacicus* non deleri, ſed in *Dacicum* neutro genere jusſisſet mutari. Licet enim IIII. DACIC. commodisſime exponi posſit *quadriremi* DACIC*a*: tamen de IIII. DACICO in 822: 6. quid fieri velit, nusquam dicit. Nobis, dum certius quid proferatur ab aliis, placebit, ut *Liburna, triremis, quadriremis* cet. origine adjectiva ſunt, cum quibus per ellipſin ſubſtantivum fœmininum *navis* ſubintelligendum eſt: v. Sanct. Min. lib. 4. cap. 4. p. m. 609. ita DACICO & NEPTVNIO dicta esſe auferendi caſu ab nominativis DACICVM & NEPTVNIVM ſc. *navigium.* Vt LIB. NEPTVNO eſt ex *Liburna* vel *Liburnica navi*, cui nomen eſt *Neptunus:* ita IIII. NEPTVNIO eſt ex *tetrere* vel *quadriremi navi*, cui nomen eſt *Neptunium.* Eodem modo ſe res habet de DACICO, *quadriremis* quoque nomine. Neutra hæc *Neptunium, Dacicum*, poſt fœminina, *Liburna* vel *Liburnica*, *quadriremis*, *cet.* quaſi ſubſtantivorum propriorum induerunt naturam, uſu ipſo, ut in aliis id genus, ad generis diſcordiam parum adtendente.

Donianus Chelidonis titulus eſt δίγλωττος, græcus & latinus: qualis & brevis hic Smyrnæus.

POM-

POMPEIA CN. F.
MAGNA
ΠΟΜΠΕΙΑ ΜΑΓΝΑ

a *Muratorio* loco non ſuo, in Adfectu libertorum & ſervorum, Claſſe XXII. in qua minime quæreres, pag. 1595. in adnotatione tantum ad num. 5. ſeu ſaxum Romanum, quod Cn. Pompeium *Pompeiæ Cn. Magni filiæ libertum* Iſochryſum refert, ſubjectus: quem edidiſſe dicit in diſſertatione quadam doctiſſimum P. *Bouhierium*: neque meminit ibi *Muratorius* eorum, quæ de lapide iſto dederat *Bimardus* capite II. toto diſſertationis primæ ipſi *Muratorio* inſcriptæ T. I. Theſ. Mur. p. 6-10. cum quibus componenda ſunt, quæ *Bimardo* repoſuit ampliſſimus Divionenſis Senatus Præſes *Bouhierius* in diſſ. limatiſſima *ſur le grand Pontificat des Emp. Rom.* a. 1742. p. 27. 28. 29. In libello elegantiſſimo, *Explic. de quelques marbres antiques* a. 1733. in quo Pompeiæ titulus primum prodiit, hæc ſunt ad rem nunc noſtram facientia. „Comme il fût poſé „par un Romain dans une Ville Grèque, il vou„lut que l'Inſcription fût écrite dans les deux „Langues. Il me ſemble en avoir vû d'autres „exemples. Mais je ne me les rapelle pas.„ Quin ex eo tempore viro eruditiſſimo, inque verſandis marmoribus antiquis maxime ſedulo, alia etiam agenti, ſeſe iterum dederint, quorum tunc non meminerat, monumenta græce ſimul & latine inſcripta, nulli dubitamus. Bilinguia ejusmodi ſaxa inveniuntur Eucratidæ Epicurei in *Grut.* 406: 2. Aeliæ Sabinæ in *eodem* 665: 8. T. Fl. Iuliani in *Spon. Miſc.* p. 333. n. XXXVII. Alia adducere ſciens parco. hæc tamen Ez. *Spanhemii* verba tandem adpono. „Morem utramque „ſcripturam & linguam permiſcendi, noſti fre-

„quenter

„quenter etiam obvium in lapidibus antiquis; „ubi præter crebras Romanorum voces, pe„riodi etiam integræ Græcis litteris conſignatæ „non ſemel leguntur: aut vero eadem nonnun„quam inſcriptio integra bilinguis occurrit, ſeu „Græca Romanaque lingua; ut in duabus in„ſcriptionibus apud Cl. Sponium Itin. T. III. p. „135. & 145. una *Epheſina*, altera *Laodicenſi*. „ de Vſu Num. T. I. p. 107. Hæc de ſaxo Chelidonis διγλώττῳ.

INSCRIPT. III. MVR. p. 1736. *n.* 7.

Catanæ, in Palatio Senatorum. Miſit Antonius Pantò *J. C. Panormit.*

ΤΥΜΒΟΝ ΟΡΑϹ ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ ---- ΡΙΚΛΕΙΤΗϹ
ΡΟΔΟΓΟΥΝΗϹ ΗΝ ΚΤΑΝΕΝ ΟΥΧ ΟϹΙω
ΛΑΕϹΙ ΛΕΙΝΟϹ ΑΝΗΡ ΚΛΑΥϹΕ ΔΕ ΚΑΙ ΤΑΡ---
ΧΥϹΕΑ ΒΙÀΝΙΟϹ ΗΝ ΠΑΡΑΚΟΙΤΙΝ ΚΑΙ
ΒΑΙΗΝ ϹΤΗΛΗ ΤΗΝΔ ΑΠΕΔϹΙΚΕ ΧΑΡΙΝ
ΟΝΟΜΑ ΤΟ ΠΡΙΝ ΜΕ ΠΑϹ ΕΚΛΗϹΕΝ
ϕ ΕΠΑΓΑΘω ϕ
ΝΥΝ ΔΕ ΡΟΔΟΓΟΥΝΗ Η ΒΑϹΙΛΙΔΟϹ
ϕ ΤΟ ΕΠωΝΥΜΟΝ ϕ

Id eſt: *Sepulcrum hoc. Cernis Viator.... Celebris Rhodogunæ, Quam Occidit Impie Linus Maritus, Flevit Autem....*

Ita telam interpretationis vix cœptam abrumpit MVRATORIVS. quam pertexendam ſibi ſumſit LEICHIVS p. 498. 499. *E veſtigiis*, inquit, *corruptarum vocum ſequentia exſculpi poſſunt:*

Τύμβον ὁρᾷς, παροδῖτα, περικλειτῆς Ῥοδογύνης,
Ἣν κτάνεν ὐχ ὁσίως --- δεινὸς ἀνήρ.
Κλαῦσε δὲ καὶ τάρχευσ' Ἀβιάνιος ἣν παράκοιτιν,
Καὶ βαιὴν στήλη τήνδ' ἀπέδωκε χάριν.

Sepulcrum

Sepulcrum cernis, viator, inclitæ Rhodogunæ,
Quam occidit improbe- - - immanis vir.
Flevit autem, & exſequias Avianius uxori ſuæ fecit,
Exiguumque munus hoc in columna dicavit.
Nomen meum omnes antea vocabant Exagatho,
Nunc vero Rhodogune, Baſilidis F. cognomen eſt.

Duos verſus poſtremos LEICHIVS omiſit græce dare: dedit latine, ac ſi elegiaci & ipſi eſſent: quum *ſenarii* ſint, ſeu *Iambici trimetri*: quos unius literulæ H in N mutatione integritati ſuæ reſtituo, diſtinctis pedibus ſingulis uno, metro quoque ſeu *διποδίᾳ* quaque duobus punctulis.

ΟΝΟΜΑ. ΤΟ ΠΡΙΝ: ΜΕ ΠΑϹ. ΕΚΛΗ; ϹΕΝ ΕΠΑ. ΓΑΘΩ:
ΝΥΝ ΔΕ ΡΟ. ΔΟΓΟΥ: ΝΗΝ ΒΑϹΙ. ΛΙΔΟϹ: ΤΟ ΕΠΩ·
[ΝΥΜΟΝ:

Vides, paribus in regionibus *jambum* conſtanter ſervatum; metro tantum tertio, ſeu loco ſexto poſterioris pedis *pyrrhichium* habente, quod carminis cujusque ſyllaba ultima libera ſit. Sedibus imparibus nunc jambum, aut ejus loco tribrachyn; nunc ſpondæi loco aut dactylum aut anapæſtum vides. id quod tironum gratia monui: iisdem & hoc dans, ut eosdem ſenarios accentibus videant inſtructos, minusculisque ſcriptos characteribus.

Ὄνομα τὸ πρίν με πᾶς ἔκλησεν Ἐπαγαθώ.
Νῦν δὲ Ῥοδογούνην Βασιλίδος τὸ ἐπώνυμον.

Nunc quædam ad ſaxum hoc adnotanda accipe.
ΠΑΡΟΔΕΙΤΑ] *Leichius παροδῖτα*. Parum refert. retinenda tamen ſaxi ſcriptura παροδεῖτα. Exempla τῶν ΕΙ & Ι promiſcue adhibitorum ſunt in ſaxis ὅσα κόνις. Vt heic ΕΙ pro Ι, ita in Inſc. I. habuimus Ι pro ΕΙ, in ΒΑϹΙΛΙΟϹ pro Βασίλειος.

ΠΕΡΙ-

ΠΕΡΙΚΛΕΙΤΗC] Recte ita *Leichius* verſus primi lacunam explevit. Ad inſc. II. monuimus, adjectivum ἀςονάχητος in Lexicis græcis nondum comparuiſſe. Neque περικλειτὸς in eis comparet: ſed ut ἀγακλειτὸς Homeri idem quod ἀγακλυτὸς, ita ſaxi noſtri περικλειτὸς dubium eſſe nequit quin idem ſit τῷ περικλυτός. Eadem Lexica habent πολυκλειτὸς, non habent πολυκλυτός. Apud Grut. 1137: 4. eſt ΠΟΛΥΚΑΥΙΟΝ, ex quo concinnatum eſt docta manu ΠΟΛΥΚΛΑΥΤΟΝ, quod idem ac πολύκλαυςον. cui etiam favere videatur quod ibidem paullo poſt ſequitur ΠΟΛΥΔΑΚΡΥΝ. videndum tamen, annon commodius ex ΠΟΛΥΚΑΥΙΟΝ exire poſſit ΠΟΛΥΚΑΥΤΟΝ.

ΛΑΕΣΙ] Durus nodus, tantum non Gordius. Vocem indomitam adeo contemſit *Muratorius*, ut prorſus præterierit, indignam quam vertere conaretur. *Leichius* ingenue ſibi non intellectam faſſurus lineolas defectum indicantes poſuit. Eſt vero vocabulum hoc ſi aliud ullum facillimum, quod negotium faceſſere nemini debebat græcam linguam mediocriter docto. Dativus eſt pluralis declinationis creſcentis a λᾶας, contr. λᾶς, *lapis*, *ſaxum*. unde dat. pl. λάεσι, contr. ex λαάεσι. Eſtque omiſſa præpoſitione dativus inſtrumenti, quo Ῥοδογύνην ἔκτανεν ὐχ ὁσίως δεινὸς ἀνήρ. *Hom. Iliad.* Ω. *verſu* 798.

Πυκνοῖσιν λάεσσι κατεςόρεσαν μεγάλοισι.

ΛΕΙΝΟC] *Leichius* ἐις αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν τὸν κάλαμον βάψας ΔΕΙΝΟC. Peſſime *Muratorius* proprium nomen ratus reddit *Linus*; quodque adhuc pejus eſt *maritum* facit uxoris ſuæ interfectorem. Nonne videbat mariti nomen linea quarta ante ΗΝ ΠΑΡΑΚΟΙΤΙΝ demum legi a ΛΕΙΝΟC prorſus diverſum? quid ergo miramur, Claſſe demum

XXIII. eum hoc retuliſſe epigramma, in ſingularibus, minutioribus, & quisquiliis, quibus eximi, inque Claſſe XIX. ſeu Adfectu Conjugum digne collocari debebat.

ΤΑΡ ||| ΧΥϹΕΑ ΒΙΑΝΙΟϹ] Etſi lineæ tertiæ extremæ ſigna rupti ſaxi adponit *Muratorius*, literula tamen nulla abrupta eſt, jungique debent ΤΑΡΧΥϹΕΑ ΒΙΑΝΙΟϹ. unde Leichius ΤΑΡΧΕΥϹ' ΑΒΙΑΝΙΟϹ concinnavit, mutata τοῦ Ε ſede. Quum vero ταρχύω frequentius occurrat, & Homerica vox ſit ab Euſtathio ad Hom. p. 666: 30. ed. Rom. per ἐνταφιάζω expoſita, ταρχεύω vero & ταρχέω minus ſint obvia, præſtat ΤΑΡΧΥϹΕ ſaxi ut ſanam ſcripturam retinere; ſollicitari autem debet Α ΒΙΑΝΙΟϹ, ſub quo mariti Nomen proprium omnino latet. Liceat tentare ΛΙΒΑΝΙΟϹ. Λ in Α frequenter corruptum. Ι poſt Β facile rejectum; quo rejectum non eſſet, niſi Α ex Λ fuiſſet ortum, quia ΛΒΙΑΝΙΟϹ ἀνεκφώνητον. In celebri Strabonis loco pro ΚΑΛΒΙΟΝ quum, mutatione & trajectione τῇ Α ΒΙΑΝΙΟϹ in ΛΙΒΑΝΙΟϹ haud diſſimili, conjeciſſem legendum ΚΑΒΑΙΟΝ, conjecturam meam ex Bibliothecæ Mediceæ codice MS. Strabonis, in quo ΚΑΒΑΙΟΝ proclivi librarii errore pro ΚΑΒΑΙΟΝ inveniatur, firmari celeberrimus Abr. GRONOVIVS in Variis Geographicis Lugduni Batavorum a. 1739. editis, in quibus meam de OSTIONIBVS Exercitationem Geographico-Criticam legi voluit, monet pag. 159. facta ejuſdem rei mentione in epiſtola iiſdem Variis Geographicis præfixa, mihique amantiſſime inſcripta. Pro ſaxi noſtri verbis ΤΑΡΧΥϹΕΑ ΒΙΑΝΙΟϹ parine εὐστοχίᾳ conjecerim legendum ΤΑΡΧΥϹΕ ΛΙΒΑΝΙΟϹ, docti Siciliæ viri, aut peregrinatores literati ex αὐτοψίᾳ certo decernent.

ΗΝ ΠΑΡΑΚΟΙΤΙΝ] *ſuam* uxorem. ἣν nunc relativum eſt *quam*, ut ſupra hoc ſaxo ἣν κλάνεν οὐχ ὁσίως, nunc poetice posſesſivum eſt pro ἑὴν *ſuam.* quod ne monuisſem quidem, niſi ΗΝ pro ἑὴν vidisſem præteritum *Muratorio* in alio monumento ſepulcrali elegiaco græco, quod Clasſe XXIII. voce *Iulius Aquilinus*, loco minime ſuo, p. 1693: 1. protulit. nos brevitati ſtudentes adponimus literis minuſculis tantum, accentibusque inſtructum.

Πρωθήβην ἔτι κοῦρον, ἔτι χνοάοντος ἰούλου
  Δευόμενον, Φθονερὴ μοῖρα καθεῖλε βίου,
Πολλὰ σοφῆς χερὸς ἔργα λελοιπότα. Βάσκανε Δαῖμον,
  Οἵας οὐχ ὁσίως ἐλπίδας ἐξέταμες.
Ἀλλὰ σὺ γαῖα πέλοις ἀγαθὴ, κούφη τ' Ἀκυλείνῳ,
  Καὶ δὲ παρὰ πλευρὰς ἄνθεα λαρὰ φύοις,
Ὅσσα κατ' Ἀραβίους τε φέρεις, ὅσα τ' ἐστὶ κατ' Ἰνδούς.
  Ὡς ἂν ἀπ' εὐόδμου χρωτὸς ἰοῦσα δρόσος
Ἀγγέλλῃ τὸν παῖδα Θεοῖς φίλον ἔνδοθι κεῖσθαι,
  Λοιβῆς καὶ θυέων ἄξιον, οὐχὶ γόων.
Εἰκοσέτη τὸν παῖδα θοὴ κατενήρατο μοῖρα,
  Κᾆστιν ἐν εὐσεβέων ἣν διὰ σωφροσύνην.

In prima pubertate adhuc juvenculum, & vix lanugine Aſperſum Iulium invida fata ſuſtulere:

Primum diſtichon ita vertit *Muratorius.* Apage vero *Iulium* hunc. Error hic in indicem etiam nominum a *Muratorio* transſumptus, in quo ex ſaxo hoc voc. Ἰούλιος dat Ἰούλιος Ἀκυλεῖνος 1693: 1. Voce vero Ἀκυλεῖνος prorſus non dat. Quicunque marmor hoc in *Muratorii* Theſauro inveſtigare volet, opem indicis ejus fruſtra implorabit, neque Clasſe XXIII. voce *Aquilinus*, ubi dari oportebat, reperiet. nemo ergo inveniet, niſi ante eundem erret errorem, & appellativum Ἰούλου versus primi proprium nomen

 Ἰουλίου,

Ἰούλϐ, repugnantibus & metro & ſenſu, esſe credat. Auctorem carminis verſum primum vix dubito expresſisſe ex loco Lexicis, ex quibus ſapere Muratorius potuisſet, non ignoto, Apollon. Rhod. Argon. lib. II. v. 43.

> Τοῖος ἔην Διὸς υἱὸς, ἔτι χνοάοντας ἰούλους
> Ἀντέλλων, ἔτι φαιδρὸς ἐν ὄμμασιν.....

ubi ſcholiaſtes vetus: ἔτι χνοάοντας ἰούλους. τοὺς ἰούλους ὡς χνοῦν ἀναφύοντας ἔχων. τὰς ἐξανθήσεις τῶν γενείων. Idem ibidem ἀνατέλλειν Poëtæ ἐνεργητικῶς σημαίνειν notavit. Active etiam D. Matthæo ſignificat cap. V. v. 45.

v. 4. ΕΞΕΤΑΜΕϹ legi, jubente & metro, pro ΕΤΕΤΑΜΕϹ.

v. 5.6.7.8. meretur conferri Perſius Sat. I. v. 36-40.

v. 8. a *Muratorio* male eſt verſum

> *In ejus corpus velut ros fragrans decurrentia.*

v. 12. ἐν εὐσεβέων ſc. τόπῳ vel οἴκῳ, ut ἐν vel εἰς ᾅδου, etiam in N. T. Ne ἐν aut εἰς ſolœce cum genitivo conſtructum exiſtiment ἀγράμματοι, monemus in *Gloſſario* p. 9. extr.

Vltimum pentametrum *Muratorius* transfert

> *At in piorum ſedibus is verſatur ob probitatem.*

immo *ob* ſuam *modeſtiam.* Interpretem hunc ἦν plane omiſisſe initio monui, ob id ipſum adducens hoc ſaxum, ad quod hæc adtulisſe fatis nunc nobis eſt. Plura perſequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum feſtinatio, ut ea explicem, quæ exorſus ſum. Quare ad propoſitum Rhodogunes titulum redimus.

ΟΝΟΜΑ --- ΕΠΑΓΑΘΩ] *Leichius* in verſione ſua muliebre hoc nomen habet *Exagatho.* quem errorem neſcias an operarum esſe dicas, quæ *x* pro *p.* poſuerint; an *Leichii* ipſius, qui elegiacum

cum carmen in ſaxo ad finem usque continuari eſt ratus. Eſt vero ΕΠΑΓΑΘΩ veriſſima ſaxi ſcriptura: quod nomen quia ob ſyllabas tres breves continuas heroicum, elegiacumque carmen intrare nequaquam poteſt, horum verſuum auctori cauſſa fuerit mutandi genus carminis, elegiacum in jambicum, quod pro jambo & tribrachyn habere amat, ubique quidem certe, ab ultima regione ſi discesſeris, admittit. De aliis nominibus eodem modo contumacibus ſuave eſt legere veterum poëtarum ſive luſus ſive querelas. Videſis *Athenæum* Dipnoſ. lib. VII. p. 284. E. edit. Commel. a. 1597. *Horat.* Sat. I. V. vers. 87. ſeqq. *Ovid.* ex Ponto lib. IV. epiſt. 12. *Martial.* lib. IX. epigr. 12. *Rutil.* Itinerar. lib. I. v. 419. ſeqq. *Prudent.* περὶ Στεφ. Hymn. IV. v. 161. ſeqq. Nomen muliebre ΕΠΑΓΑΘΩ ignotum prorſus indici nominum *Muratoriano* græco: quare operæ erit aliud ex *Muratorio* ſaxum in medium adferre, ab ejusque παρερμηνείαις liberare. MVR. 1339: 9. *Bononiæ, in Inſtituto Scientiarum. Exſcripſit amicus Gherardius.*

Θ Φ Κ	Id eſt:	*Dis Manibus*
ΕΠΑΓΑΘω		*Epagatho*
ϹΥΜΒΙΟϹ		*Contubernalis* (ejus)
ΚΕϹΠΕΡΙϹ		*Ceſperis*
ΘΥΓΑΘΗΡ (*ſic*)		*Filia*
ΕϹΠΕΡωϹΥΝ		*Heſperoſyne.*
ΖΗϹΑΝΤΙ ΕΤΗ		*Qui vixit Annos.....*
- - - - - - - -		. . . .

Hæc *Muratorii* verſio in epigrammate facillimo miſcet conchylia turdis: ΕΠΑΓΑΘΩ ei eſt dativus maſculinus, unde ejus index Ἐπάγαθος 1339: 9. in quem præterea intulit nomina tenebricoſa, luce indigna, non in Græcia, ſed in media

 Barba-

Barbaria nata. Κέσπερις 1339: 9. Item Ἑσπερωσύνη 1399: 9. Legendum eſt breve hoc epigramma ad hunc modum. Θεοῖς Καταχθονίοις. ΕΠΑΓΑΘΩ CΥΜΒΙΟC Καὶ ΕCΠΕΡΙC ΘΥΓΑΤΗΡ (pro quo erratum fabrile in ſaxo ipso ΘΥΓΑΘΗΡ legi, adpoſito *ſic* monemur) ΕCΠΕΡΩ ΣΥΝΖΗCΑΝΤΙ ΕΤΗ..... i. e. D*iis* M*anibus*. EPAGATHO VXOR, ET HESPERIS FILIA, *fecerunt* HESPERO, QVI VNA *ſcil. cum uxore* VIXIT ANNOS. . . . . *Muratorio*, opinor, valde HESPEROSYNE diſplicuisſet, ſi marmorarium cogitasſet non voluptati aurium morigeratum, ſed compoſitionis rationem ſecutum, migrata & non ſervata grammaticorum regula, liquidam N ante duplicem Z non ſuſtulisſe; pleneque, ut veritas poſtulabat, dare maluisſe ΣΥΝΖΗCΑΝΤΙ, quam per ſyncopen, ut conſuetudo aſperitatem vitans & ſuavitatis causſa peccans efferebat, ΣΥΖΗCΑΝΤΙ. Quid? quod eodem modo ipsum hoc participium in aliis etiam marmoribus inciſum eſt, vel ab *Muratorio* datis: 1389: 9. συμβίῳ ΣΥΝΖΗCΑCΗ ἔτη β΄. μη̃. β΄. ἡμε΄. κγ΄. 1421: 1. συμβίῳ γλυκυτάτῃ ΣΥΝΖΗCΑCΗ ἔτη ιβ΄.

ΡΟΔΟΓΟΥΝΗΝ ΒΑCΙΛΙΔΟC ΕΠΩΝΥΜΟΝ.] *Leichius* videtur accepisſe, Baſilidis Filiam Epagatho poſtea Rhodogunen cognominatam esſe. Ex corrupta ſaxi ſcriptura ΡΟΔΟΓΟΥΝΗ Η ΒΑCΙΛΙΔΟC *Rhodogune Baſilidis Filia* ei eſt credita, quia græcis nil frequentius, quam cum articulo ſubintelligere υἱὸς vel θυγάτηρ, inſequente genitivo ſeu patrio caſu: v. g. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππȣ, *Alexander Philippi F.* Sed ſi heic ἡ Βασιλίδος ſit *Filia Baſilidis*, quæram cur ΒΑCΙΛΙC, *Baſilis*, Rhodogunes mater memoretur potius, quam pater? an Η ΒΑCΙΛΙΔΟΥ legemus, ut exeat *Baſilidis Filia*, i. e. cujus pater fuerit *Baſilides*, ΒΑCΙΛΙΔΗC?

ϹΙΛΙΔΗϹ? Cur, ſive *Baſilis* mater, ſive *Baſilides* pater, placeat, Rhodogune demum dicta dicitur *filia Baſilidis?* nonne quum adhuc Epagatho diceretur, jam tunc *filia Baſilidis* fuit? Forte varias causſas finges: quibus omnibus facile caremus: quia ſupra metricam vidimus neceſſitatem legendi ΡΟΔΟΓΟΥΝΗΝ ΒΑϹΙΛΙΔΟϹ ΕΠΩΝΥΜΟΝ. Neque quidquam nobis reſtat, niſi ut rationem nominum mulieris hujus clara luce perfundamus. Quæ prius uno tantum nomine dicebatur *Epagatho*, eadem poſtea obliterato hoc priore ejus nomine non amplius *Epagatho* vulgo eſt dicta, ſed *Rhodogune*, quod ejus nomen poſterius ſolum legitur in fine versus hexametri primi. At quum poſterius nomen acciperet *Rhodogune*, non hoc ſolo dehinc dicta eſt, ſed præter id etiam cognomentum *Baſilidis* accepit, ut vocaretur *Rhodogune Baſilis.* Tunc ergo eam vocarunt ΟΝΟΜΑ (i. e. *κατ᾽ ὄνομα*, vel *κατὰ τὸ ὄνομα*) ΡΟΔΟΓΟΥΝΗΝ, ſeu, quod idem esſet, ΡΟΔΟΓΟΥΝΗϹ, prætereaque ΒΑϹΙΛΙΔΟϹ ΕΠΩΝΥΜΟΝ i. e. *κατὰ τὸ ἐπώνυμον ὄνομα Βασιλίδος*, ſeu, quod idem eſt, *κατὰ τὸ ἐπώνυμον ὄνομα Βασιλίδα.* eodem loquendi genere, quo vulgo præcipiunt dici: *Nomen* vel *cognomen ei eſt* Syrus, Syri, Syro: Glycerium, Glycerii, Glycerio. Amm. Marcellinus librorum qui ſuperſunt ſtatim primo, i. e. XIV. cap. 5. *Paulus erat in complicandis negotiis artifex dirus, unde ei* Catenæ *inditum eſt* cognomentum.

Cognomento ſeu altero quodam nomine præter nomina ſolita qui dicebantur, ſolemni formula Ο ΚΑΙ, QVI ET, cognomen illud ſuum nomini ſeu nominibus ſuffixum fere habent: cujus conſuetudinis vel ſexcenta in ſaxis græcis & latinis occurrunt exempla: quorum aliquam

multa ob id ipſum ſtudioſe in unum locum collecta videbis a Fabretto Inſc. pag. 145 -- 148. Ex magna copia nobis obſervata unum tantum adponimus ex MVR. 1189 : 9. *Romæ ex Ligorio.*

Θ K	Id eſt:	*Dis Manibus*
ΜΑΞΙΜΑΝΤΗ		*Maximan-*
Ν ΚΑΙ ΕΙΡΗΝΗΝ		*ten, Quæ Et Irene,*
ΡΑΡΘΕΝΟΝ Α		*Virginem Pu-*
ΓΝΗΝ ΕΤωΝ $\overline{\text{Κ}}$		*ram Annorum XX*
ΜΑΞΙΜΟϹ ΠΑ		*Maximus Pa-*
ΤΗΡ ΜΝΗ ΧΑΡΙΝ		*ter Memoriæ Cauſſa*
		(hoc titulo exornat)

ΡΑΡΘΕΝΟΝ corrigendum eſſe ΠΑΡΘΕΝΟΝ quivis videt præter correctores Mediolani. ΜΑΞΙΜΑΝΤΗΝ diviſim eſſe ΜΑΞΙΜΑΝ ΤΗΝ, *Maximam, quæ* & Irene, quis non videat præter *Muratorium*, qui tum in verſione, tum indice nominum græco nomen inde minime græcum dedit Μαξιμάντη καὶ Εἰρήνη. 1189 : 9. pro Μαξίμα, ἡ καὶ Εἰρήνη.

Interdum omiſſa formula Ο ΚΑΙ, QVI ET, duplicia nomina referri Fabretti quoddam ſaxum loc. cit. docet. quo retulerim, ſupra Inſc. I. *Baſilium* etiam dictum *Macrinum*, Macrini filium.

Sæpe aliis quibusdam formulis iſtius generis cognomina nominibus junguntur : quas nunc non adferimus, niſi unam, ad ſaxi noſtri ΒΑϹΙΛΙΔΟϹ ΤΟ ΕΠΩΝΥΜΟΝ magis etiam illuſtrandum. MVRAT. 1382: 8. *Romæ apud Ficoronium.*

D M

D M
OCTAVIAE. FELICI
TATI. SIGNO. LEONTI
COIVGI. DVLCISSI
MAE. ET. INCOMPA
RAVILI. QVAE. MECV. VI
XIT. ANNIS. XXXVI
MENSIBVS. VII. SINE
VLLA. QVERELLA
AVR. FELICISSIMVS
SIGNV. LEONTIVS
B. M. F

In Columbariis, in quibus unum Sepulcretum multorum defunctorum cineres complectebatur, ut ſingularem ſuum loculum aliquis dignoſceret, ſignum *quodpiam apponi conſuevit. Heic loculo* Octaviæ Felicitatis, & Aurelii Felicisſimi *conjugum, appoſitum fuiſſe videtur Signum Leonis.* Hæc *Muratorius.* quæ quoniam eum nemini probaturum putamus, in iis confutandis operam inſumimus nullam. quod v. 3. eſt SIGNO, id v. penult. eſt SIGNV. quod ruditati marmorarii aut O & V promiſcue adhibentis, aut M omittentis, tribuendum: ut v. 6. INCOMPARAVILI pro INCOMPARABILI. & MECV pro MECVM. cujus generis plurima in ſtilo lapidario haud raro occurrunt. adderem & QVERELLA v. 9. pro QVERELA, niſi orthographia illa magis etiam quam hæc in marmoribus antiquis inveniretur. SIGNO LEONTI & SIGNV LEONTIVS mihi prorſus idem eſt ac ſi græce legeretur ΤΟ ΕΠΩΝΥΜΟΝ ΛΕΟΝΤΙΟΥ. Mulieris τὸ ἐπώνυμον, ejus nominibus adjici ſolitum, fuit, opinor, *Leontium*, ut mariti *Leontius.* Signum, τὸ ἐπώνυ-

μον,

μον, quod nos vulgo dicimus **den Zu- oder Ueber-Rahmen.** Docte & egregie id vocabulum eſt illuſtratum ab eruditiſſimo BIMARDO, quem anno ſuperiore literis antiquis morte immatura ereptum accepimus, in diſſ. de Originibus Cularonenſibus ſeu Gratianopolitanis, ab *Muratorio* Tomo Theſauri ſui novi primo præfixa: ut mirer, τὸ SIGNO in ſaxo Tomi ſui Tertii quo modo eſſet accipiendum, *Muratorium* non ipſum vidiſſe, ſed male explicatum aliis reliquiſſe rectius explicandum. Qua dixi diſſ. BIMARDVS, de *Statore Cularonenſi* acturus, quum dixiſſet, *Statorum* Ciceronem non ſemel meminiſſe (*epiſt. ad diverſ. lib.* II. *ep.* 17. & 19. & *lib.* X. *ep.* 20.) *De municipalibus*, inquit, *Statoribus teſtes ſunt lapis Nemauſenſis, inter collectanea Reineſii* (Claſſ. XI. 19.) *relatus, tum Viennenſis alter Gruterianus, cui declarando paucula nunc ſubjiciam. Ita autem deſcribitur.* (Grut. 631: 7.)

D ET QVIETI M
AETERNAE
LVCILI METROBI
SIGNO SAPRICI
STATOR CIVITATIS
VIƎNES QVI VIXIT
AN XXXVIII M II
DIVICIA DOMITI
OLA MATER FILI
OR. III. CONIVGI
KARISSIMO ET
INCOMPARA
BILI PONENDVM
CVRAVIT ET FILI
SVB ASCIA
DEDICAVERVNT

Cui

Cui volupe erit nugas evolvere, adeat Chorerii Librum (pag. 263.) *de Antiquitatibus Vienneſibus Gallice editum. Ibi mira comminiſcitur de commate SIGNO SAPRICI. Attulit quoque Fabrettus* (Inſcript. pag. 252.) *alteram Inſcriptionem, in qua* τὸ *Signum eodem ſignificatu legitur.*

HIC IACET AVFIDIA SEVERINA SIGNO FLORENTI &c. ſed quid hac voce expreſſerint veteres, nequaquam expoſuit. Signum *nihil aliud eſt, quam populare agnomen, quod nos Galli dicimus* Sobriquet. *Sententiæ fundus mihi eſt Vopiſcus, cujus verba ſunt in Aureliano* (cap. 6.) *qui poſtea imperavit;* nam quum eſſent in exercitu duo Aureliani Tribuni, hic, & alius, qui cum Valeriano captus eſt, huic *SIGNVM exercitus appoſuerat MANV AD FERRVM. Hoc quoque agnominis genus* vocabulum *a Tacito* (*Annal. lib. I.* 24.) *dictum reperio.* Centurio, *inquit*, Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis *VOCABVLVM* cedo alterum indiderant. *Igitur* Lucilius *iſte alter Viennenſis Coloniæ* ſtator, *cognomento* Metrobius, Signo, *id eſt populari* agnomine, Sapricus *etiam dicebatur. Cetera plana ſunt, ut interprete non indigeant.* Hactenus BIMARDVS. Quia rivi ſtatim claudendi, breviſſime quædam monebo: SIGNO SAPRICI quo modo Scaliger acceperit, fugit *Bimardum.* Scaligero viſum eſſe Geographicum, ac ſi hominis patriam notaret, vidi ex ind. Grut. 10. ſeu geographico: in quo Scal. dat *Signum Saprici.* 631 : 7. item *Saprici ſignum.* 631 : 7. *Stator Viennenſis* in indicibus Gruterianis plane præteritus & a Scaligero & ab Holtheno. SIGNO SAPRICI *Bimardus* legit nonniſi *Saprici* : quid ſi *Sapricius* cognomentum fuit Lucilii Metrobii. I finale enim ſæpe pro II legitur in ſaxis; vel in hoc Viennenſi Gru-

teri

teri LVCILI pro LVCILII. & METROBI pro METROBII. & v. antepenult. FILI pro FILII ſc. tres, de quibus præceſſerat mentio. Saxum ſeptem verſuum, cujus primum tantum ob SIGNO FLORENTI adduxit *Bimardus* ex Fabr. Inſc. p. 252. (n. 42.), neſcivit idem bis in Faretto legi, qui immemor, ſe jam dediſſe, ut ineditum iterum profert p. 418. n. 374. A *Bimardo* de Mediolanenſi diſſertationum ſuarum editione mendis typographicis ſcatente nimium queſto non adnotatum, in Taciti loco pro *cedo alterum* legi debere CEDO ALTERAM ſc. *vitem*, centurionum geſtamen: *quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rurſus aliam poſcebat.* quæ Tacitus verba ipſe ſtatim ſuffixit, rationem exponens, cur centurionem Lucillium τὸ ἐπώνυμον CEDO ALTERAM vocarint.

Vel ob Taciti a Bimardo opportune adducti vocem *vocabulum* tandem ſaxum quoddam *Bimardianum* do: *Murat.* 247: 3. *Alexandriæ in Aegypto. E ſchedis* D. de la Condamine *hauſit Clariſſ. Bimardus.* ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙϹΑΡΑ Μ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ϹΕΟΥΗΡΟΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ ΕΥΤΥΧΗ ΕΥϹΕΒΗ ϹΕΒΑϹΤΟΝ ΤΟΝ ϹωΤΗΡΑ ΟΛΗϹ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗϹ Μ ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΜΕΛΛΕΚΑΙωϹ ΡΗΜΑΤΙΖω ΙΚΑ ΑΟΥΡΙΒ. Ex verſione *Bimardi*, qui in fine legendum ſuſpicatur ΧΡΗΜΑΤΙΖΩΝ ΑΘΥΡ ΙΒ. *Imperatorem Cæſarem Marcum Aurelium Severum Antoninum, Felicem, Pium, Auguſtum, Vniverſi Orbis Servatorem, Marcus Aurelius Cognomento* (fortaſſis die XII. Menſis Athyr, honorat.) Titulum ΣΩΤΗΡΟΣ, uno IESV noſtro dignum, abhinc annis decem oratione publica expoſui, in qua & numum memoravi in Aegypto quoque cuſum, ab viro legationibus obeundis claro, literarum antiquarum laude etiam clariore, Ez.

Span-

Spanhemio (de uſu Num. T. II. p. 500.) publici juris factum, intra cujus lauream, horrui referens, ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ, legatur. Egregium vero orbis terrarum conſervatorem Neronem! --- *DI talem terris avertite peſtem.* In Alexandrino ſaxo menſis Aegyptiaci nomen ΑΘΥΡ pulcre reſtituit *Bimardus*: an pari uſus ſit felicitate in ΧΡΗΜΑΤΙΖΩΝ pro ΡΗΜΑΤΙΖωΙΚΑ, licet dubitare. Χρηματίζω græcis quoque ſignificare *appellor*, *nominor*, *nomen mihi imponitur*, dubitari non poteſt. vel in N. T. bis hoc ſignificatu occurrit: quem proinde, in *Sylloge Suiceriana* (in proferendis diverſis earumdem vocum ſignificationibus perquam ſterili) omisſum prorſus, addere in *Gloſſario* noſtro haud neglexmus. Sed ſi *M. Aurelius Mellecæus* uno cognomine Μελλεκαῖος poſt nomen gentilitium *Aurelius* eſt uſus de more maxime ſolito, quid erat opus χρηματίζων ſuperaddi? at poterat addi, ſeu interjici, ſi alio præterea cognomine fuit uſus. quid ſi quod editum eſt retineamus, & explicemus, ΡΗΜΑΤΙ ΖΩΙΚΑ id eſt, *cognomento*, *ſigno*, ſeu etiam Taciti voce *vocabulo* ZOICA.

Heic teneat noſtras anchora jacta rates.

Pag. 14. *lin.* 23. *pro* mata *lege* mate
Pag. 20. *lin.* 6. *pro* Quomodo *lege* Quoquo modo